



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 2. Figura Hispaniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

§. 2. *Figura Hispaniæ.*

PRIMÒ Corio Bubulo similem facit Strabo lib. 3. εἰς Βύβρον.

SECUNDÒ quadratæ figuræ ait esse Iustinus lib. 44.

TERTIÒ Trigonam faciunt illam Orosius, & Æbicus.

§. 3. *Quantitas Hispaniæ.*

TAM vastam ait esse Appianus in Ibericis, vt vna regio credi non possit: postea tamen *longitudine*, & *latitudine* decem Stadiorum millia implere asserit.

Plinius quoad *latitudinem* inæqualem tantùm esse ait, *longitudinem* mille octoginta duorum passuum tradit esse.

Strabo denique distinctiùs *longitudinem*, sex millium Stadiorum, *latitudinem* quinque pronunciauit.

§. 4. *Qualitas Hispaniæ.*

CONSIDERATUR in ea *Fertilitas*, *Diuitie*, *Frequentia populi*.

FERAX. Omni genere fructuum abundare Iustinus putat. Solinus nihil in eâ otiosum, nihil sterile: quidquid negat messem vigere pabulis, loca etiam sterilia materiam funibus nauticis sufficere, quod tamen Strabo negare videtur. Laudatur eius quoque oleum, laudantur & lana, Minium, Equi.

DIVES, vt ostendetur postea in Lusitanis, Gallæcis, Asturibus, & Celtiberis. Certè Nonnius ex Liuiò colligit Hispaniam, paucis annis, Romanis dedisse sexcenta millia infecti Argenti pondo, Argenti Oscensis quadraginta millia, Auri circiter decem, præter signati copiam infinitam. Nec prætereundum est, ex puteis Argenti ab Annibale effossis, reddidisse quotidie ccc pondo.

POPVLOSA quàm fuerit ex Bæticâ, Gallæciâ & Celtiberiâ, partibus eius, colligetur.

§. 5. *Mores Hispanorum.*

VITIVM in eis vnum arguebant veteres quòd factiosi essent: sed etiam asserunt illud à Græcis hausisse; at in iis quinque potissimum